



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117867**

§. 2. Concilium Arelatense.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](#)

Sæculum IX.  
A. C. 813.

## §. II.

*Concilium Arelatense.*

*Ann. Loisel.* Anno octingentesimo decimo tertio, Caroli Imperatoris ultimo, Comitiis Aquisgrani coactis, jussit, ut quinque Concilia in præcipuis Regni sui Ecclesiis Metropoliticis, nimirum Moguntiæ, Rhemis, Turone, Arelate, & Cabilloni ad Ararim pro Lugdunensi Provincia celebrarentur, sibique, quæ decreta fuissent, referrentur. Hæc Concilia igitur habita sunt in æstate illius anni, & talia fuere statuta, quæ Quæstionibus ante biennium ad Episcopos missis congruunt. Unde sufficiens temporis spatium ad ea, quæ dicerent, digerenda habuerant.

*Sap. Lib.*  
*XLV. §. 51.*

*to. 7. Conc.*  
*p. 1231.*

Ex his Conciliis primum, ut dies apposita indicat, est Arelatense, quod inter Concilia hujus Civitatis sextum habetur. Celebratum est autem anno imperantis Caroli in Francia quadragesimo quinto, Æra Hispanica 851. nempe anno 813. decima Maji, in Ecclesia S. Stephani. Præfuere Joannes Archiepiscopus, & Nebridius Narbonensis, qui præter Titulum Dignitatis suæ Archiepiscopalnis Legatos Principis se dicunt. Prima die nihil aliud actum, quam quod decreverint, Missas & preces pro Imperatore, quoad viveret, & pro ejus familia esse offerendas. Altera die promulgati

gati fuere viginti sex Canones, quorum Sæculum IX.  
 primus Professio Fidei est in compen- A.C. 813.  
 dium contracta. In secundo præcipitur, Rem. c. 40.  
 ut omnes Clerici pro Rege Carolo o-  
 rent. Et deinde, ut quilibet Archiepis- Arel. c. 3.  
 copus suos Suffraganeos moneat, ipso-  
 rum esse Presbyteros & populum in Ba-  
 ptismo; & omnibus Fidei Mysteriis eru-  
 dire. Episcopi, dicit Sacra Synodus, in Rem.c.14.15  
 Sacra Scriptura versati sint & in scientia  
 Canonum, nec alia re nisi prædicatione  
 & instructione populi occupentur. Pres- c. 10. Arel.  
 byteri etiam in Parochiis ruralibus con-  
 cionentur. Parentes liberos suos do-  
 ceant, & Patrini illos quos e sacro fonte  
 levarunt. Quilibet Episcopus singulis  
 annis Dicecesim suam visitet, & paupe-  
 res oppressos tueatur. Si judices & vi-  
 ri potentes Admonitiones Episcopi con-  
 temnant, eorum contumacia ad Regis  
 aures deferatur. Totus populus atque Conc. Cabil.  
 etiam Comites & Judices Episcopo obe- c. 20.  
 diant, juncta que opera justitiam & pa-  
 cem conservent.

Episcopi magna cura erudiant Pres- Arel.c.4.5.  
 byteros (nempe Parochos) quos ad Pa-  
 rochias administrandas ordinabunt, &  
 Laici (id est Patroni) non accipient mu-  
 nera pro collatione illarum Ecclesiarum,  
 nec possint Presbyteros ejicere, & alios  
 advocare sine judicio Episcoporum, qui-  
 bus hi Presbyteri vitæ morumque suo-

## 6 HISTOR. ECCLESIAST. LIBER XLVI.

Sæculum IX. rum rationem reddere tenentur. Pres-  
A.C. 813. byteri Sacrum Chrisma servent Sigillo  
c. 18. munitum, nec illud cuiquam medicinæ  
Tur. c. 20. loco vel sub quocunque alio prætextu  
communicent. Erant enim non nulli  
insana superstitione imbuti, facinoris  
reos, si Chrismate uncti fuissent, velpau-  
culas guttulas potionis mixtas sumpsis-  
sent, nunquam a lictoribus capi posse.  
Quod ex Concilio Turonensi discimus.

Rhem. c. 20. Decimæ & Ecclesiarum Bona conser-  
38. ventur, & qui ejusmodi in Beneficium  
c. 16. 22. (id est in Usumfructum) possident, de  
Rhem. suo ad sarta tecta conferant. Nundinæ  
aut jurgia forensia in propilæis Ecclesia-  
rum aut Diebus Dominicis prohibeantur.

c. 6. Episcopis curæ sit, ut tam Canonici  
Rhem. 25. quam Monachi secundum suum Institu-  
Ar. c. 8. tum mores componant. In Monasteriis  
Canonicorum (\*) & Monachorum aut  
Monia-

(\*) Totus Canon VIII. in editione Paris.  
1714. sic sonat: *Ut non amplius suscipiantur*  
*in Monasterio Canonicorum atque Monacho-*  
*rum, seu etiam Puellarum nisi quantum ratio*  
*permittit, & in eodem Monasterio absque ne-*  
*cessariarum rerum penuria degere possunt. An*  
*Clerici in his Monasteriis Canonicorum, de qui-*  
*bis his sermo, fuerint alii & distincti a Clericis*  
*ceteris Ecclesiæ Cathedrali servientibus, vel an*  
quan-

Monialium plures non suscipiantur, quam Sæculum IX.  
Domus illa commode alere possit. Mo- A. C. 813.  
nasteria puellarum ad Officium Divinum Rhe. 12.  
necessario peragendum nemo intret nisi Ar. 7.  
exploratæ pietatis viri & ætate graves.  
Qui ad celebrandam Missam ingressi fue-  
rint, illa finita sine mora abeant. Qui c. 26.  
criminis publici convicti fuerint, pœni-  
tentiam publicam secundum Canones a-  
gant.

Fame, vel alia calamitate premente, Rh. 31.  
alimentis illorum, qui ad ipsum perti- Ar. 14.  
nent, quilibet, ut potuerit provideat.  
Viri potentes Bona pauperum non nisi c. 23.  
publice Comitibus & civium præcipuis  
præsentibus emant. Hi Canones Con-  
cilii Arelatensis præ cæteris notatu di-  
gni mihi visi sunt, cumque reliqua qua-  
tuor eandem pertractent materiam, ea  
solum afferam, quæ singularia sunt.

### §. III.

#### *Concilium Rhemensē.*

Concilium Rhemensē eodem anno in  
medio mensis Maji anno octingente-  
simo decimo tertio congregatum, Wul-  
fario Archiepiscopo præside. Post jeju- to.7. p.1253.  
A 4 nium,

quandoque vel semper Congregatio Clerico-  
rum Cathedralium dicta fuerit Monasterium Ca-  
nonicorum, hic ego dubitare, sed affirmare al-  
terutrum non possum.